



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Origines Benedictinae, Siue Illvstrivm Coenobiorvm Ord.  
S. Benedicti, Nigrorvm Monachorvm, Per Italiam,  
Hispaniam, Galliam, Germaniam, Poloniam, Belgium,  
Britanniam, aliasque Prouincias. Exordia Ac ...**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1614**

S. Iacobi Coenobium, in insula Mosae fluminis, intra muros vrbis  
Leodicensis.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11261**



militari distat à Maseica ditiois Leodicensis ad Mosam fl. opido, fixam habens sedem. Quibus quidem virginibus, in sacris muneribus obeundis subseruiunt sex Canonici seculares, amplissimè etidem dotati. De Thorensis huius monasterij i-nitijs ita legitur in Chronico Leodicensi, à monachis Aureæ vallis conscripto: Ab Anfredo Comite, de consilio Notgeri Episcopi Leodiensis, fundatum est cœnobium monialium in villa, quæ dicitur Turne, quam tenet Comes Brabantinus à Leodiensi Episcopo. Hic Anfredus in Episcopum inferioris Traiecti per Deum electus, suam coniugem Hilfindem in Turne constituit, vbi filia eorum benedicta primò regimen animarum sub regula B. Benedicti suscepit, & ibi sepultæ sunt. Notgerus Comitatum Hoyensem Leodiensi Ecclesiæ ab Anfredo Comite acquisiuit, & ea quæ Otho Imp. habebat ibi, acquitauit Episcopo, & a-nulo priuilegium sigillauit.

## S. IACOBI

Cœnobium, in insula Mosæ fluminis, intra muros vrbs Leodicensis.

**O**lbertus Abbas IIII. Gemblacensis, L-  
dernæ in confinio pagi Sambrensis na-  
tus puer in cœnobio Laubiensi liberalibus  
artibus, ac disciplinâ monasticâ, ab Herigero  
eius loci Abbate, est instructus. Pòst Lutetiæ

*Trithe-  
mius lib. de  
Script. Ec-  
les. cum  
nuncupat  
Albertum.*

Q 5

Parisi-



Parisiſorum, in cœnobio ſancti Germani, deinde Tricaffinæ ſtudijs triennium operam dedit. Sed & Fulberti Carnotenſis Epifcopi auditor fuit. Ex Gallia ad Laubienſe cœnobium ſuum reuerſus, ibidem magnâ pietatis ac doctrinæ gloriâ floruit. Cumque eâ tempeſtate Burchardus Vuormatienfibus datus eſſet Epifcopus, is à Baldrico, eo nomine ſecundo Leodicenſi Epifcopo, petijt, ad ſe mitti aliquem, cuius operâ ac præſidio vltiores ſacris in litteris progreſſus facere poſſet. Miſſus eſt itaque Vuormatiam Olbertus, qui Burchardum diligentiffimè inſtituit. Quantum verò is ex Olberti doctrina profecerit, ex actibus eius æſtimandum erit; de quo ſatis conſtitit, quòd illa ætate in Scripturarum eruditione vnicè claruerit. Quod vel in hoc probari poterit, quòd opus ſanctæ Eccleſiæ nimis vtile elaborauit, dum Olberto dictante & magiſtrante, magnum illud Canonũ volumen centonizauit, & quaſi collectis floribus omniformis generis de prato ſcripturarum, coronam pretioſiorè auro & topaſio, in edito Eccleſiæ collocauit. Olbertus Vuormatia Laubium reuerſus, à Baldrico Epifcopo ſupra nominato, paullò poſt euocatur, & Gemblacenſis Abbas conſtituitur, conſecraturque XI. Kal. Octob. an. milleſimo duodecimo. Vtq; erat vir ſacris profaniſque apprimè eruditus, Bibliothecam inſignem, vt alter Philadelphus Gemblaci inſtruxit, plurimis cum diuinarum, tum humanarum diſciplinarum libris comparatis.

Scri-

An. 1012.



Scripsitque inter cetera historiam vitæ & translationis sancti Veroni cōfessoris, rogante Raginero Hannoniæ Comite. Ceterum cum eâ tempestate, S. Iacobi cœnobium in insula Mosæ fl. apud Leodicenses, patrimonij sui ære fundasset idē Baldricus II. Episcopus, ipsoque viuis erepto cœnobium istud nemini adhuc commissum esset, Guolbodo eius in Episcopatu successor, illud Olberto regendum tradidit, qui primus ibi monachos congregavit, & Leodicensi, simul & Gemblacensi cœnobijs, ad vsque vitæ exitum, laudatissime præfuit, mutatis sæpe vicibus, nunc Gemblaci, nunc Leodici residens, Cumque Gemblacensi annos triginta septē, Leodicesi verò cœnobio annos circiter triginta præfuisset, Leodici demùm obiit II. Idus Iulij, anno millesimo quadragesimo octauo, ibidem ad D. Iacobi conditus, hac inscriptione.

An. 1048.

Hic iacet Abbatum speculum, decus & monachorum,

Abbas Olbertus, flos, paradise, tuus.

Præfuit Ecclesijs normali tramite binis,

Legia corpus habes, Gembla carēdo doles.

*Hac ex manuscripto Abbatum Gemblacensium catalogo, à Sigeberto chronographo & monacho Gemblacensi conscripto, hausimus; quem pro suo in nos adfectu nobis transmisit Illustris et Reuerendus D. Ludouicus Sonbechus, Abbas et Comes Gemblacensis.*

*Sigebertus porrò Gemblacensis in Chronico sue, tradit hoc cœnobium à Baldrico an. Christi*  
mille-



An. 1014.

millesimo decimo quarto fundatum. Quæ autē in  
stituendi eius causa seu ratio fuerit, breuiter nar-  
rat Rodulphus Abbas Trudonensis, in manuscri-  
pto sui cœnobij Chronico: Anno Domini CIO.  
XIIj. Baldricus Secundus Leodiensis Episco-  
pus, ad arcendum maleficos, cœpit ædificare  
castrum apud Hugardis villam, quæ est allo-  
dium Ecclesiæ S. Lamberti, intra Brabantiam  
ad confinia sitam. Cui obsistente Lamberto  
Barbaro, Louaniensi Comite, conflictu belli  
commisso, Episcopus, cæsis suorum trecentis,  
vineitur; qui Leodium rediens, de suorum  
strage læsam conscientiam habens, consilio  
discreti viri N. Episcopi ex Italia venientis,  
ad placandum omnipotentem, pro redempti-  
one animarum occisorum, cœnobium funda-  
re deuouerat. Sequenti igitur anno voti com-  
pos, intra muros ciuitatis, in insula, cœnobi-  
um in honorem S. Iacobi Minoris ædificauit,  
ad quod idem Comes Lambertus de proprio  
allodio, pro satisfactione, larga dotalitia  
contulit; ubi & primus Abbas Olbertus no-  
mine præfuit. *Et paullo infra.*

An. 1017.

Anno Domini CIO. XVIIj. Baldricus se-  
cundus obiit, & in crypta monasterij S. Iaco-  
bi, quod ipse fundauerat, sepelitur. Cui Vuol-  
bodus succedens anno eodem, cœnobium  
præfatum nuper inceptum, mandato Henri-  
ci Imperatoris, perfecit; qui in Episco-  
patu quinque \* annis præfuit.

Alij tribus

*Hactenus ex Chronico  
Trudonensi.*

S. L A V.